

CASUS CANONICO-MORALIS.

DE OBLIGATIONIBUS ORDINI SACRO ADNEXIS

HILARIUS, juvenis debilis et valde timidus, a patre inducitur ad statum ecclesiasticum amplectendum atque ad Ordines sacros suscipiendos. Post aliquos annos a sacerdotio recepto, mortuo patre, habitum ecclesiasticum dimittit.

Episcopus, cum certo et palam constet de metu equidem gravi, processum instituendum curat nulla praevia petita et obtenta facultate a Sancta Sede atque pronuntiat constare de metu gravi illato Hilario quem decernit esse solum omnibus obligationibus Ordini sacro adnexis.

Interim Hilarius, exitu processus non exspectato, in remotam regionem se confert ibique nuptias contrahit.

QUAERITUR

- I. An valida sit Ordinatio in casu.
- II. An valide suscepta sint onera Ordini sacro adnexa.
- III. An validus fuerit processus instructus ab Episcopo.
- IV. An valida censenda sit declaratio ab eodem pronuntiata.
- V. An validum sit matrimonium ab Hilario contractum.
- VI. Quomodo res componendae sint coram Deo et Ecclesia.

SOLUTIO

AD I. Ordinatio in casu est per se valida. Generale principium can. 103, § 2 enuntiatur his verbis: 'Actus positi ex metu gravi et iniuste incusso vel ex dolo, valent, nisi aliud iure caveatur. . .'. Atqui aliter ac de quibusdam aliis actibus, uti matrimonio et professione religiosa, nullibi ius canonicum ad metum quod attinet de sacrae Ordinationis nullitate cavet. Ratio est quia metus per se non tollit voluntarium sed tantum minuit. Etenim subiectum sub metus influxu constitutum voluntate *absolute* tendit in sacram Ordinationem, quam utique non vellet si alio posset modo malum vitare quod timet (puta exhaeredationem, expulsionem, minas, gravem indignationem, etc.). Proinde actus eius accedendi ad s. Ordinationem dicendus est voluntarius simpliciter, licet sit *secundum quid* involuntarius, iuxta notum adagium: 'Voluntas meticulosa est semper voluntas'.¹

¹ Perspicua sunt hac de re verba Benedicti XIV, qui ait: 'Iuxta vigentem canonicam iurisprudentiam, si quis gravi veroque metu coactus, ad Ordinationem accedat, et Ordines suscipiat, valida quidem habetur illius Ordinatio et character Ordinis ipsius animae impressus. . .'. *De Synodo dioec.*, lib. XII, cap. 4, n. 2.

Agitur in casu de coactione ex metu, uti innuere videntur verbum 'inducitur' necnon circumstantia debilis ac timidæ indolis subiecti. Aliter quidem respondendum esset si iuuenis noster non morali coactione seu metu sed physica coactione seu vi ad s. Ordinationem adigeretur; nam in hac altera hypothesi Ordinatio esset certe invalida, deficiente accu humano in subiecto, ex can. 103, §1, quo statuitur: 'Acius, quos persona sive physica sive moralis ponit ex vi extrinseca, cui resisti non possit, pro infectis habentur'.

AD II. Cum 'electio status a libera cuiusque pendeat voluntate',² Ecclesia, considerata gravitate onerum sacro Ordini adnexorum, præsertim perpetui coelibatus, non vult eadem imponere invito, ei scilicet qui metu gravi coactus ordinatur. Quare invitum Ecclesia 'quodammodo incapacem reddit ad valide onera suscipienda, sicuti incapacem reddit coniugem qui sub metu gravi constituitur, ad exprimendum validum matrimoniale consensum'.³ Nec requiritur ad invaliditatem susceptionis onerum metus absolute gravis sed sufficit relative gravis, etiam indirecte incussus, dummodo agatur de vero metu a causa extrinseca proveniente et quidem quoad sacros Ordines suscipiendos. Aliter ac in matrimonio in dubio de metus gravitate standum est pro libertate clerici.⁴ Attamen sola existentia metus gravis non obstat validæ onerum susceptioni, nisi accedat quoque ex parte clerici qui metum gravem passus est ratihabitionis absentia, eo sensu ut, recepto sacro Ordine, clericus eandem Ordinationem remoto metu ratam non habuerit saltem tacite per Ordinis exercitium, volens tamen per talem actum obligationibus clericalibus se subicere.⁵

De ratihabitionis defectu has quæ sequuntur normas præscribit lex ecclesiastica: 'Ratihabitio non præsumitur pendente causa nullitatis; attamen, hac iudicialiter definita per sententiam, quæ declarationi nullitatis refragetur, aut per non interpositam appellationem aut per absolutam appellationis instantiam, ipsius ratihabitionis præsumptio exsurgit, si clericus sponte et libenter resumat sacri Ordinis exercitium, vel in eo rite exercendo perseveret, quin suam libertatem acquirere conetur, cum id assequi ei haud difficile foret, ex eo quod non obstant impedimenta seu incommoda.

'Sed hæc quoque præsumptio destrui potest contrariis indiciis aut probationibus, quæ clare manifestent ratihabitionis voluntatem nullimode adfuisse, nonobstante externa quadam factorum seu circumstantiarum specie'.⁶ Relate vero ad tempus Ordinationem inter et causæ intro-

² Benedictus XIV, *Instr.* 'Eo quamvis tempore', 4 maii 1745. Cfr. can. 971

³ Lega-Bartocchetti, *Commentarius in Iudicia Ecclesiastica*, III, 272^o.

⁴ Cfr. Cappello, *Tractatus Canonico-Moralis de Sacramentis*, IV, n. 359.

⁵ C. I. C., can. 214, §1.

⁶ *Decret.* 'Ut locorum Ordinarii', S. C. de Sacram., 9 iun. 1931; cap. XIV, 66s.

ductionem, exercitium sacrorum Ordinum non necessario onerum et sacrae Ordinationis ratihabitionem praesefert, nam fieri potest ut clericus metum passus etiam tunc ita egerit vel quia metus adhuc in eo perdurabat vel quia nesciebat se posse suam vindicare libertatem aut illud facere alia de causa non est ausus, cum ratihabitionem cognitionem libertatis ab obligationem supponat.⁷

Ubi agitur de sacerdote, libertas ab obligationibus quae a vinculo Ordinationis manant non acquiritur in foro externo nisi per viam *strictae iustitiae* ad normam can. 1998, §1 et ad normam Decreti S.C. de Sacramentis 'Ut locorum Ordinarii' diei 9 iunii 1931.

In casu verificatur coactio moralis, quae, consideratis debili voluntate timidoque ingenio Hilarii, facile gravis saltem relative evadit. Deest quoque, ex parte sacerdotis, ratihabitione s. Ordinationis; quod ex eo colligitur quod statim ac removetur causa metus morte patris interveniente, Hilarius e vita clericali recedit dimisso habitu ecclesiastico. Quare in foro interno onera sacro Ordini adnexa ab Hilario invalide suscepta censentur. In foro vero externo standum est pro validitate susceptionis onerum donec contrarium per tramitem iuris certo constet.

AD III. Ad Sacram Congregationem de Disciplina Sacramentorum spectat cognoscere de causis contra ipsam validitatem sacrae Ordinationis vel de causis quibus impugnantur obligationes ex sacra Ordinatione dimanantes (can. 249, §3), salva competentia Supremae S.C.S. Officii (can. 1993).

Nullus iudex inferior potest processum in hisce causis instruere, nisi Sedes Apostolica eidem facultatem fecerit.⁸

Unde cum loci Ordinarius nullam causam de sacra Ordinatione introducere ac definire sine peculiari Sanctae Sedis mandato possit, ejus incompetencia hac in re est absoluta, ita ut si absque Sedis Apostolicae facultate agat omnia et singula acta processualia sint nulla et irrita. Si impugnatur validitas susceptionis obligationum ex sacro Ordine promanantium, libellus clerici transmitti debet ad S. Congregationem de Sacramentis, cui reservatur decernere utrum iudiciario an disciplinari seu administrativo ordine causa ipsa sit pertractanda. Si eadem S. Congregatio statuerit causam ordine iudiciario servato tractari ac definiti oportere, eam committit cum respectivo mandato tribunali dioecesis quae fuit clerico propria tempore receptae sacrae Ordinationis, quod tunc legitime procedet ad causam cognoscendam ac definiendam; sin autem S. Congregationi placuerit rem disciplinari modo tractari, ipsamet quaestionem dirimet, praevio processu informativo instructo penes idem tribunal dioecesanum.⁹

⁷ Cfz Vermeersch-Creusen, *Epitome iuris Canonici*, ed. 4a, I, n. 289.

⁸ Decret. 'Ut locorum Ordinarii', cap. I, 1s.

⁹ C.I.C., can. 1993.

His praefatis, palam est processum ab Episcopo instructum esse in casu omnino nullum et irritum ratione absolutae incompetentiae eiusdem Episcopi carentis praevia facultate Sanctae Sedis.

AD IV. Sententia lata a iudice absolute incompetenti laborat vitio nullitatis insanabilis.¹⁰ Etenim incompetencia absoluta efficit ut iudex careat potestate iudicandi in certa materia seu non sit iudex quoad certas causas, ac proinde 'ea quae fiunt a iudice si ad eius non spectant officium non subsistunt'.¹¹

Cum vero iuxta notum effatum 'nullus maior defectus in iudice sit quam defectus potestatis', declaratio seu sententia ab Episcopo potestate destituto prolata in favorem libertatis Hilarii ab obligationibus sacro Ordini adnexis est nulla et quidem vitio nullitatis insanabilis.

AD V. Lex Ecclesiastica praescribit clericos in sacris Ordinibus constitutos invalide attentare matrimonium.¹² Impedimentum dirimens Ordinis sacri respicit clericos in sacro Ordine rite constitutos. Iamvero ut clericus rite in Ordine sacro constituatur ita ut inhabilis efficiatur ad coniugium valide ineundum tres requiruntur condiciones, scilicet:

(i) *valida ordinatio*, quae est veluti impedimenti causa, qua non exstante, deest quoque ipsum impedimentum. Invaliditas autem sacrae Ordinationis debet in iudicio probari atque duabus conformibus sententiis definiri vel a competenti S. Congregatione disciplinari modo decerni.

(ii) *libera sacri Ordinis susceptio*, secumferens susceptionem obligationum clericalium, quarum praecipua est perfecta ac perpetua castitas. Vis et metus necnon absentia ratihabitionis, si adsunt, legitime probari debent eodem modo ac invaliditas Ordinationis.

(iii) *cognitio de matrimonio vitando et de perfecta castitate servanda*, in qua obligatione proprie fundatur impedimentum Ordinis sacri. Defectus huius cognitionis, qui nunquam praesumitur in adultis, certam postulat probationem.

Quarum conditionum vel una deficiente non oritur impedimentum. At clericus in sacro Ordine non rite constitutus, si ante iudicis definitivam sententiam vel S. Congregationis decisionem nuptias celebret, illicite, quanquam valide, contrahit.¹³

Quibus mature perpensis clarum evadit matrimonium ab Hilario sacerdote celebratum esse in foro interno validum, dummodo coactio vere adfuerit sine ratihabitione, sed graviter illicitum. In facie autem Ecclesiae matrimonium illud censetur invalidum.

¹⁰ *Ib.*, can. 1892, n. 1^o.

¹¹ *Regulae Iuris*, n. 26.

¹² *C. I. C.*, can. 1072.

¹³ *Cfr* Cappello, *Tractatus Canonico-Moralis de Sacramentis*, V, n. 437.

ADVI. Ad res coram Deo et Ecclesia componendas in casu necesse est ut primo libellus Hilarii validitatem obligationum s. Ordinationis accusans mittatur ad S. Congregationem de Disciplina Sacramentorum, quae decernat quonam modo causa pertractari debeat. Deinde post duplicem sententiam conformem (in via iudiciaria) vel post definitivam ab eadem S. Congregatione prolatam declarationem (in via administrativa), Hilarius redigatur ad statum laicalem atque liber declaretur ab obligationibus a vinculo sacrae Ordinationis manantibus ad normam can. 214 et can. 1998. Denique in foro externo convalidandum est matrimonium ab Hilario initum ad normam can. 1135 vel ab Apostolica Sede petatur eiusdem matrimonii sanatio in radice ad normam can. 1139, §1.

G. MUSCAT